



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

[De Gemmis]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

putate etiam superflua, ne sitis nimium vani, curiosi, mundani, & nolite conformari huic saeculo, ut Apost. monet Rom. 12. Denique amputate vitia quaelibet antequam nimium succrescant, dum parvus est hostis interficite, ut monet Hieronymus.

S T R E N A V.

De Gemmis.

Distribuemus in Strenam gemmas, seu lapides pretiosos cum suis custodiis sive thecis, in quibus seruentur. Sed ut huiusmodi Strenas accipiatis mundos vos oportet esse & lotos, Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus, neq; mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis.* Porci semel loti redeunt ad volutabrum, juxta illud 2. Petr. 3. *Canis reversus ad suum vomitum, & sus ad volutabrum luti.* Vos estis loti in hisce diebus Natalitiis lavacro poenitentiae, nolite, monet S. Leo, iterum in veterem vilitatem degeneri conversatione redire, nolite, Thren. 4. antiquas sordes & stercorea rursum amplexari. Itaque cum credam vos lotos & mundos, spargam vobis margaritas. Habebitis Strenam opulentam.

Primo igitur *Sacerdotibus* & Ecclesiasticis lapidem *Chrysolitum*: Hic lapis teste Plinio lib. 37. c. 9. aureo colore transluet, & videtur ardentes scintillas emittere. Per aurum divina intelligitur sapientia, per ardentes vero scintillas, bona opera, quibus coram hominibus lucere oportet, designantur. **O DEI Sacerdotes** ! qui incruenta quotidie libatis sacrificia, quorum lingua semper rubet in sanguine Agni, qui manibus vestris in dies conrectatis Virginis Filium, qui super familiam DEI constituti estis, sapientia & scientia vobis necessaria est. Scriptum est enim, Aggaei 2. *Interroga Sacerdotes, legem, &c. Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius.* Malach. 2.

Quia

Quia Angelus Domini exercituum est. Requirebat olim DEUS à Sacerdotibus veteris testamenti scientiam, quâ discernere possent Levit. 10. inter sacrum & profanum, multò majori ratione hæc scientia requiritur in vobis, qui iudicare debetis inter lepram & non lepram, id est, discernere inter peccata & non peccata, inter mortalia & venialia, &c. Admonebat proinde D. Paulus suum Timotheum I. Tim. 4. *Ut attenderet lectioni, exhortationi, & doctrina.* Oportet enim Episcopum ac Sacerdotem, *amplecti eum qui secundum doctrinam est, sermonem fidelem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Tit. 1. Væ Sacerdotibus qui scientiam hanc repellunt, nam iis sic minatur DEUS per Prophetam Oseam 4. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* O miseram Rempubl. cui Sacerdos indoctus & idiota præficatur, Si enim Plato Rempubl. putavit esse beatam ubi Philosophi regnarent, vel Reges Philosopharentur, è contrâ, miseram & infortunatam cui tales desunt. Isaia 56. *Quomodo non infelix ea, ubi speculatores ejus cæci, nescientes universi, canes muti, non valentes latrare. Ubi non est gubernator,* Prov. 21. *Scilicet prudens, populus corruet.* Quem ergò constituit Dominus super familiam suam, fidelem oportet esse servum ac prudentem, ut det illis in tempore tritici mensuram, tum demùm familiæ Domini benè erit. *Sapientia enim* Prov. 24. *adificabitur domus, & prudentiâ roborabitur.* Secundò, necesse est ut ardentes emittant scintillas bonorum operum & exemplorum, illis enim potissimùm dicitur, Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona &c.* Eorum potissimùm est, *providere bona,* Rom. 12. *non tantùm coram DEO, sed etiam coram omnibus hominibus.* Illorum præcipuè est, vivere sine reprehensione & in medio nationis *pravæ* Philip. 2. *atq; perversæ lucere tanquam luminaria in mundo.* Non absq; ratione est quòd olim veteres Sacerdotem deliniare

lineare volentes depingerent & effigarent venerabilem senem una manu tenentem solem, aliâ horologium. Per solem namque significare volebant, vitam Sacerdotis debere esse luminosam, claram, & illustrem, contra quam nemo merito loqui posset, juxta illud Pythagoræ. Adversus solem ne loquaris id est, ne fugilla eum cuius vita est ut sol. Cùm ergò Sacerdotes in Evangelio dicantur Matth. 5. *Lux mundi*, quàm oportet eorum vitam conspicuam esse & illustrem? Quòd verò alterâ manu horologium teneret, per hoc innuere intendebant, à vita & regimine Sacerdotum dependere vitam & regimen totius populi, sicut ab horologio dependet directio civitatis & negotiorum in civitate tractatio. Est enim hora mensura quædam, & regula rerum agendarum. Hinc commune adagium. *Ut populus sic Sacerdos*. Et. Sicut *Regis ad exemplum totus componitur orbis*: ita & ad Sacerdotis, qui Rex quidam spiritualis est. Hinc pulchrè D. Chrysost. hom. 10. in Matth. *Sacerdotum bona conversatio populi est conditura*. Et lib. 3. De Sacerd. *Sacerdotalis animi pulchritudinem undiq; splendescere oportet, ut oblectare pariter & illuminare possit eorum animos, qui suos in illum oculos conjiciunt*. &c. Et D. Greg. Pastor. part. 1. c. 2. *Cùm Pastor per abrupta graditur, fit ut grex ad precipitium sequatur*. Videant ergò Sacerdotes, ut nemini dent ullam offensionem 2. Cor. 6. *Ut non vituperetur ministerium illorum*. Curent exemplum esse fidelium. 1. Tim. 4. *in verbo & conversatione & prabeant seipsos Tit. 2. Exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate*. Deniq; videant Matth. 6. *Ne lumen quod in ipsis est tenebra sint*, Et tenebras tandem exteriores Matth. 25. cum reprobis omnibus projiciantur. Custodia seu theca hujus gemmæ sit studium sacram literarum. Vobis enim ô Sacerdotes potissimùm dicitur Joan. 5. *Scrutamini scripturas, quia illa sunt, quæ testimonium perhibent de me*. Sacerdoti potissimùm dicitur Isaiæ 1. *Non recedat volu-*

P

men le-

men legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte. Sacerdoti dicitur Ezech. 3. Comede volumen istud, & fiet in ore tuo mel dulce. Ament ergo Sacerdotes scientiam literarum, & non amant vitia carnis, ait Hieron.

Præfctis *Secularibus* & *Judicibus* do *Adamantem*. Hic lapis est admodum durus nec facile potest frangi. Per hoc significatur justitia, quæ ita dura sit oportet, ut dicat DEUS Exod. 23. *Pauperis non misereberis in judicio*. Id est ut Hieron. in Ps. 32. *Non propter pauperem, nec propter divitem, non propter proximum & longinquum, non propter cognitum & incognitum, declines à recto judicio, sed prius judica rectum judicium*. &c. Ps. 47. *Si verè utiq; justitiam loquimini, rectè judicate Filii hominum*. Quo edocet teste eodem D. Hieron. in hunc Ps. *Ut quisquis mortalium judicio fuerit usus publico, si verum loquitur, & verum judices, nec ponat in blanditiis sermonum muscipulam deceptionis, per quam occultè interimat innocentem*. *Judai justa loquebantur ad Christum, quia dicebant Magister scimus, Matth. 22. quia verax es, & viam Dei in veritate doces* Non judicabant tamen justa, quia petierunt Barabbam filium mortis & interfecerunt Christum filium vite. Imitentur Judices petram justitiæ Christum de quo scriptum est Ps. 115. *Justus es Domine, & rectum judicium tuum*. Et Isaia 11. *Erit justitia cingulum lumborum ejus*. Et Ps. 21. *Judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem, & liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adjutor*. Sanè qui calumniatoribus favent, Christum non imitantur: qui amore, aut odio, aut quâvis animi passione judicant, veri Judicis sectatores non sunt. Judicare enim oportet ex ratione & præscripto legum, quibus ipse imprimis Judex debet obedire ac sese subicere. Solon unus è septem Græciæ Sapientibus, interrogatus, quomodo civitas in optimo statu degeret? respondit, *Si Cives Magistratui, & Magistratus legibus obediant*. Nec multum distimi-

diffimiliter Seneca epist. 37. *Si vis omnia subicere tibi, subijce te rationi, multos reges, si te ratio regat.* Rursum Adamas venena irrita facit, ut ait Plin. Nullum majus venenum justitiam necans, quàm acceptio munerum 1. Reg. 8. *Filii Samuel declinaverunt post avaritiam, acceperunt munera, & perverterunt iudicium.* Hinc in Exodo 16. præcipiebat DEus Judicibus. *Judicent populum justo iudicio, nec in alteram partem declinent. Non accipiant personas, nec munera, quia munera excæcant oculos Sapientum.* Et Eccl. 20. *Xenia & dona excæcant oculos Judicum.* Et Pl. 28. *In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.* In quæ verba D. Hieron. *Abstinendum docet à muneribus, culpans eos qui munera accipiunt, qui iniquitatem agentes questum hujus impietatis lucrum aliquod arbitrati sunt, sicut ipse Judas proditor fecit.* Pro custodia hujus gemmæ, do Contemptum munerum. *Qui enim Isaïæ 33. excutit manus suas ab omni munere, ille in excelsis habitat.*

Virginibus do Carbunculum, qui à similitudine cum ignito carbone sic appellatur, nec tamen sentit ignem, test. Plin. lib. 37. cap. 7. Ita carnali homini videntur aduri, ut ipse uritur Virgines. Sed si ante emissum votum urerentur, matrimonium inirent, cum Apost. 1. Cor. 7. dicat. Melius est nubere quàm uri. Vel si aliquando flammâ aliquâ corripiantur, ut est naturæ nostræ, non tamen comburuntur, ut Exod. 3. comparari possint rubo Moysis, qui ardebat quidem, sed nequaquam comburebatur. Carbunculus lapis est purus, quo imprimis significatur puritas corporis & spiritûs. *Mulier innupta, inquit, virginittatis laudator S. Paulus 1. Cor. 7. Cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat DEO, ut sit sancta corpore & spiritu.* Re adè dicit, *corâ pore & spiritu.* Nam ut ait D. Hieron. lib. 1. contra Jovinian. *Nonnulla sunt virgines carne, non tamen spiritu, quarum corpus integrum, anima corrupta. Sed illa virginittas hœstia Christi est, cujus*

nec mentem cogitatio, nec carnem libido maculavit. Perit enim & mente virginitas, ut idem Doctor ait. Carbunculus est parva gemma, & commendat Virginibus humilitatem. Pulchra enim permixtio humilitatis & virginitatis, ait Bern. hom. 1, super Missus. Nec mediocriter placet DEO illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur, ista precipitur, ad illam invitari, ad istam cogeri. De illa dicitur Matth. 10. Qui potest capere capiat, de illa dicitur Matth. 18. Nisi efficiatur quis ut parvulus iste non intrabit in regnum caelorum. Potes sine virginitate salvari, sine humilitate non potes. Potest placere humilitas quae virginitatem deplorat amissam, sine humilitate, audeo dicere, nec virginitas Maria placuisset. Super quem inquit Isai. ult. requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum? Super humilem dixit, non super virginem. Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus S. non requievisset. Ideo respexit humilitatem Ancillae suae DEUS Luc. 1. potius, quam virginitatem, ut placeret virginitas, procul dubio fecit humilitas. Quid dicis Virgo superbe, Maria Virginem se oblita gloriatur de humilitate, & tu negligendo humilitatem blandiris tibi de Virginitate? expedit tibi virginem non esse, quam de virginitate insolescere. Non omnium quidem est virginitas, multo tamen pauciorum est cum virginitate humilitas. Sint ergo virgines etiam humilitate commendabiles. Porro ut hanc gemmam exacte servent do pro ejusdem custodia sobrietatem. Sobrietas enim est custos pudicitiae, se contra vero, venter aestuans merito facile despumat in libidinem ut testatur S. Hieron.

Viduis do Achatem. De hoc lapide scribit Plin. lib. 37. c. 10. quod myrrham redoleat, & contra scorpiones validus sit. Viduae myrrham saepe redolent, quia mœrore, lacrymis, & singultibus mortificantur. Sentiant etiam crebros ictus scorpionum & mul-

& multis afficiuntur molestiis, opprimuntur ab amicis & consanguineis, ab ipsis etiam liberis paulatim exuuntur bonis & fortunis. O quam varii morsus scorpionum, quam amarulenti ictus & aculei. sed adhibete o viduæ contra hos ictus & morsus, gemmam illam Achatem, per quam intelligo, spem in DEUM. i. Timoth. 5. *Qua verè vidua est, speret in Domino, ipse enim est defensor, Patronus, & susceptor viduarum Pl. 185. pupillum & viduam suscipiet. Et Pl. 67. Turbabitur à facie ejus, Patris orphanorum, & Judicis viduarum.* Hic lapis etiam sanguinei coloris est, & significare potest Christum sanguine rubicundum. *Dilectus meus candidus & rubicundus. Cant. 5. inquit sponsa. Ornent se viduæ, & depingant se Christi sanguine, dicantque cum S. Agnete in Brev. Rom. Sanguis ejus ornavit genas meas. Dicant cum Sephora Exod. 4. Sponsus sanguinum tu mihi es. Cogitent sapè non se auro vel argento, nec corruptibilibus hujus mundi rebus 1. Petr. 1. esse redemptas, sed pretioso Christi sanguine quasi Agni immaculati. Soletur eas hic Christi sanguis, quando sanguinem uvæ meracissimum hujus mundi bibere coguntur. Achates denique refocillat, refrigerat, Plin. loc. cit. & sitim sedat. Christus D. sitibundos refocillat, imò abundè potat, Joan. 7. *Si quis sitit veniat ad me, & bibat.* Ipse enim est Cant. 4 *Fons aquarum viventium.* O viduæ estote sitibundæ ad hunc fontem vivum, & dicite cum Propheta Pl. 41. *Sitivit anima mea ad te fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Domini?* Ut hanc gemmam conservetis do vobiscustodiam, perseverantem orationem. *Insistent orationibus die ac nocte, 1. Tim. 4. ad exemplū Annæ Prophetissæ viduæ Luc. 2. Mirè quoq; orationem coluit castissima vidua Judith c. 8. 12. 13. Quid enim ei imprimis virilem animum dedit, quo celebre illud facinus aggressa est, ut Holoterni caput refecaret, nisi oratio? cùm civitas ejus obsideretur ab exercitu Assyriorum, oravit ipsa instantissimè**

ad Dominum unà cum Sacerdotibus & populo, à senioribus usq; ad pueros: cùmq; exiret in campum nihil aliud civibus suis præcepit quàm ut orarent. Sed & cùm in medio pessimorum hostium versaretur, nocte & ante lucem egrediebatur foras ad orandum & deprecandum Dominum. Quin etiam ipso momento quo pugionem evaginavit ad tyranni caput abscindendum, brachium muliebri oratione roboravit, quo abscisso in urbem suam indemnis reversa cum totius civitatis plausu omniumq; exultatione.

Conjugatis do Beryllum. Dicit Plin. lib. 37. cap. 5. Beryllos esse probatissimos qui viriditatem puri maris imitantur. *Mare quando tranquillum est colorem habet Berylli.* Designat ergò hic lapis pacem, tranquillitatem, concordiam, & amorem. Amor conjugalis multùm commendandus cuiusmodi fuit inter Abraham & Saram, inter Isaac & Rebeccam, inter Jacob & Rachel, Tobiam & Saram, Zachariam & Elisabecham. Debet autem amor conjugalis esse honestus & moderatus, in excessu namq; Coniuges peccare contingit. *Nihil sædus inquit D. Hieron. lib. 1. contra Jovinian. quàm uxorem amare quasi adulteram. Et. Adulter est in suam uxorem amator ardentior. Refert Seneca. Ait ibid. idem Hieron. Cognovisse se quendam ornatum hominem, qui exiturus in publicum fascià uxoris pectus colligabat, & ne puncto quidem horæ præsentia ejus carere poterat, positionemq; nullam nisi alterius tactam labris, vir & uxor hauriebant, alia non minùs inepta facientes, in qua improvida vis ardentis affectus erumpebat. Origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. Nihil autem interest quàm ex honesta causa quis insaniat. In aliena uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Vir sapiens iudicio debet amare Conjugem non affectu.* Amor ergò Coniugalis debet esse purus ut viriditatem puri maris, Berylli instar imitetur. Ut verò in quibusdam Coniugiis peccatur amoris excessu, ita in pluri-

bus

bus aliis amoris defectu. Multi hodie Conjuges inter quos quotidiana lites, rixæ, contentiones, pugnæ, &c. Multæ hodie uxores domi desidentes pavent ad adventum ebriosi & furiosi mariti, non secus quàm si lupum expectarent, ursum, aut leonem, omnia in domo subvertentem. *Tunc ululatus & gemitus per angiportus tolluntur*, ait D. Chrysof. hom. 27. in cap. 10. Corinth. 1. *Et ad tam turpis viri à vicinis & praterentibus concurritur tanquam ad feram quandam omnia devastantem, cui sanè melius esset ut terra dehisceret, quàm ampliùs in foro despiceretur.* Apud tales nulla est tranquillitas, sed quotidiana tempestas. Porro ut hæc gemma benè servetur do Conjugatis pro custodialonganimitatem seu patientiam, quâ alter alterius defectus & infirmitates æquo animo ferat. Narrat S. Chrysof. loc. cit. Philoophum quendam malam duxisse uxorem, ut quotidie in ea toleranda erudiretur, & mansuetudini assuesceret. *Multùm doleo*, inquit idem Doctor, *quòd Gentiles nobis sint sapientiores, nobis, inquam, qui Angelos imitari jubemur, vel potius ipsum DEUM per mansuetudinem.* Labet hic in gratiam istius virtutis attexere exemplum non multùm dissimile ex Cassiano, quod refert ex illo Joan. David in Veridico Christiano cap. 58. Nobilis matrona Alexandria Athanasium Episcopum adiens, sibi unam ex viduis dari petiit, quæ Ecclesiæ impensis alebatur, cui ipsa benefacere posset. Cæterùm cum petenti optima concessa esset, queri deinde cœpit, non ex animi sui sententia sibi datam. Eâ igitur restitutâ deterrimam omnium accepit, dumque illi benignè humaniterque deserviret, nihil ab ea nisi contumelias & maledicta terebat. Verbera quoque interdum excipiens, ne quid ad exercendam animi tolerantiam deesset. Inde læta gratias egit Athanasio, quòd eam tandem sibi delegisset contubernalem, cui pro malo bonum, pro injuria beneficium reddere assuesceret. Nam se ab illa priore, quoniam mitis & mansueti in-

ti in-

ti ingenii fuerat, officiis, fuisse superatam. Videt hanc matronam intolerantia, mansuetudine, longanimitate ac patientia, magnum sibi proposuisse lucrum, ac pietatis mercedem. Sic quoque discant mariti asperiores ferre uxores, & e contra, uxores molestiores maritos, ut amplam apud DEUM mercedem consequantur per hanc tolerantiam & mansuetudinem.

Adolescentibus ac pueris do Smaragdum. Hic lapis viridis quoque est coloris & jucundissimi aspectus, eoque designari potest Timor DEI, optimè juvenibus conveniens. Timor namque DEI facit juvenes virere ac florescere in omni virtute. Nec quidquam est jucundius quam videre adolescentes non ætate sed virtute canos. Talis adolescens fuit Samuel, talis Jacob, talis Joseph, talis David. Merito igitur Propheta Ps. 33. *Venite Filii audite me, timorem Domini docebo vos.* Et Eccli. 2. *Fili accedens ad servitutem DEI sta in iustitia & timore.* Et cap. 1. *Initium sapientie timor Domini.* Et Prov. 23. *In timore Domini esto quotidie, & habebis spem in novissimo.* Et Eccli. 1. *Timenti Dominum benè erit, & in diebus consummationis illius benedicetur.* Multi hodie, pro dolor! Adolescentes timorem Domini abjecerunt, ut in iis locum habeat quod Propheta dicit Ps. 13. *Non est timor DEI ante oculos eorum.* Quanta hodie in Adolescentibus malitia, ait Chrysofost. *Quanta lascivia, quanta luxuria, quanta curiositas, quanta mollities?* Ideoque monet idem Doctor Parentes, ut quam oportet diligentiam adhibeant in educandis Filiis in timore DEI, & revocandis à lascivia, temulentia, vinolentia, aliisque vitiis ac depravatis moribus. Hom. de fide Annæ, *si, inquit liberos acceperimus multâ curâ educemus, eosque cum ab omni vitio, tum præcipuè à lascivia, quod hoc difficile sit bellum, nec alia res molestior sit huic ætati, quam hic morbus, revocemus. Unde igitur circumvallemus eos consiliis, adhortationibus, terroribus, minis.* Si hanc devicerint concupiscentiam, nec ab aliis faciliè expugnabuntur.

buntur, sed & pecuniis erunt superiores, & temulentiam, vinolentiamq; superabunt, & improbos convictus omni studio discutient, & amabiliore erunt parentibus, & omnibus hominibus magis reverendi. Quis enim non revereatur juvenem castè sobrièq; viventem? quis non amplectatur, exosculeturq; eum qui cupiditatibus frenum imposuit? Quis non, vel è numero prædixitum multa cum gratia volet illi locare Filiam suam, etiamsi omnium fuerit pauperrimus? sicut è diverso luxuriosè viventem, etiamsi fuerit omnium opulentissimus, nemo tam miser est, nemo tam abjectæ fortunæ, ut eum velit sibi Generum adsciscere. Ut igitur Filii nascantur & hominibus reverendi, & DEO amabiles, exornemus illorum animos, cumq; pudicitia ad conjugium perducamus. Rursum smaragdus dicitur curare morbum caducum, sic timor DEI præservabit adolescentes ne cadant in peccatum Eccli. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Præservabit ergò timor DEI à variis morbis, à peste superbiæ, à febre ardentissima luxuriæ, à phthysi invidiæ, ab hydrope avaritiæ, &c. Nam hæ virtutes etiam smaragdo adscribuntur. Ideòque Eccli. 25. *Beatus homo cui datum est habere timorem DEI.* Si autem Eccli. 27. *non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua.* Sic ergò timor DEI vobiscum, per quem Proy. 15. *declinetis ab omni malo.* Ut verò hanc gemmam non amittatis, do vobis pro custodia, præsentiam DEI. Si enim DEUM præsentem & omnia videntem judicantemque creditis, idque sæpè animo revolvitis, credo vos raro, aut nunquam peccaturos.

Servis & Ancillis loco Strenz do Aurichalcum, quod gemmis colore tinctum solet subjici. Servorum & Ancillarum est subjici Dominis & Heris suis. 1. Petr. 2. Servi estote subditi in omni tempore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discoloris. Servis etiam dici potest illud ejusdem Petri. *ibid. Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter DEUM. &c. Sicut servi DEI.*

Q

Nec

Nec ideo vos contristari oportet quod subjecti sitis : nam & Christus Dei Filius subditus erat hominibus. Subjectus etiam est quodammodo Patri. Dicit enim Apost. 1. Cor. 15. *Omnia subiecit sub pedibus eius. Cum autem dicat, omnia subiecta sunt ei, sine dubio prater eum qui subiecit ei omnia, tunc & ipse Filius iuxta quod homo est, subiectus erit ei qui subiecit sibi ut sit DEUS omnia in omnibus.* Nec verò tantum subiectos esse servos oportet in omni timore, sed etiam in fidelitate. Non diminuunt bona Dominorum suorum, non furentur, non alienent, non disponant de iis pro suo libitu, sed ex beneplacito Dominorum. Non agant fraudulenter in distributione eleemosynarum quæ ipsis committuntur, sed fideliter exequantur Dominorum piam voluntatem. Narrat D. Greg. in Dialog. 1. 2. cap. 18. Quendam famulum Exhilaratum nomine, à Domino suo missum, ut D. Benedicto duo vascula plena vino deferret : qui unum quidem detulit, alterum verò pergens in itinere abscondit. Vir autem Domini quem facta astucia latere non poterat, unum cum gratiarum actione suscepit, & descendente Exhilaratum monuit dicens. Vide Fili, ne de illo flascone quem abscondisti bibas, sed inclina illum cautè, & invenies quod intus habet. Qui confusus valde à DEI homine exivit. Reversus autem volens probare quod audiverat, cum flasconem inclinasset, de eo protinus serpens egressus est. Tunc prædictus Exhilaratus per hoc quod in vino reperit, expavit malum quod fecit. O utinam omnes servi eam servarent Dominis suis fidelitatem, quam Joseph Hero suo Putiphari Eunucho Pharaonis cui venditus erat in terra Ægypti! Eius enim fidelitatem herus advertens tradidit ei omnia gubernanda quæ in domo erant, unde sollicitanti se postmodum Dominae suæ ad peccatum, Gen. 30. fideliter & timorati respondit. *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est quod in mea non sit potestas.*

potestate, vel non tradideris mihi prater te, quæ uxor eius es. Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? Studeant serui hujus Josephi esse similes in innocentia, simplicitate, & fidelitate. Ut verò hanc lamellam æneam seruetis do custodiam, spem retributionis. Ut enim diligentius & fidelius Dominis vestris seruiatis. cogitate, DEum aliquando operam vestram remuneraturum, laborem vestrum non futurum inanem coram DEO. Cogitate vos aliquando à seruitute liberandos Rom. 8. *in libertatem gloria filiorum DEI. Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creaturæ subiecta est, non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe.* Sperate ergo vos, qui nunc serui estis hominum, futuros aliquando Filios DEI in æterna beatitudine, & audituros vocem illam Matth. 25. *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Tunc scietis quoniam unusquisq; quod fecerit bonum hoc recipiet à Domino, sive seruus, sive liber, ut Apost. promittit ad Ephesios scribens.

STRENA VI.

De Avibus.

Distribuemus nunc Strenas ab Avibus petitas, quæ in Scriptura ponuntur. Inter quas eminet regalis aquila, Hæc igitur offero in Strenam *Sacerdotibus & Præpositis Ecclesiarum* ob diversas considerationes. Primò namque inter omnes aves maximè sublimis est aquila. Quis verò status sublimior Sacerdotali? In sublimi quidem dignitate constituti sunt Principes, Reges, & Imperatores. Sed tamen hi libenter & humiliter se Sacerdotibus subijciunt, ac coram genibus eorum sese prosternunt Ecclesiastici 4. *Presbytero humilia animam tuam.* Et cap. 7. *Honora Deum ex tota anima tua & honorifica Sacerdotes. Habent quidem*